

V c
2765





67.00.

Vc
2765

MAVRITIVM
SAXONEM,
HENRICI PII
FILIVM,

VT

EXACTISSIMVM OPTIMI PRINCIPIS
SIMVLACRVM

BERGENSES MVSAE

AD D. XXX IAN. HORA VIII MATVT.

*SVBIECTISSIME ET AFFECTV DEVOTISSI-
MO PROponent ac LAVDABVNT.*

AD TANTI HEROIS EMI-
NENTISSIMAS VIRTVTES, FAVO-
RABILITER ET ATTENTISSIMIS AVRIBVS EX-
CIPiENDAS, OMNES, QVOT MODO CVNQVE NON INTERMO-
RITVRA FVLGENTISSIMAE PER EVROPAM GENTIS SAXONICAE GLORIA,
ET OPTIMARVM ARTIVM CVLTVRA IMPENSIVS LAETANTVR,
SVMME OBSERVANTISSIME AC DILIGENTER
INVITAT

VVERNER IACOB CLAVSIVS,
MOECCERA - MAGDEBVRGICVS.

Plinius lib. V epist. XXXI num. 2.

Quid iucundius, quam Principis iustitiam, grauitatem, comitatem
inspicere?

MAGDEBVRGI,
TYPIS MVLLERIANIS.



M A V R I T I V M
S A X O N I E M
H E N R I C I P I I
F I L I V M

VT

E X A C T I S S I M V M O P T I M I P R I N C I P I S
S I M V L T E R V M
B E R G E N S I S M V S A E

A D P R I N C I P I V M I A N N O R V M M A G I S T R I
S E N E C T A M A N N I E T A D P R E S B Y T E R O R V M
I A C O B V M C L A V S I V M

A D T A N T I H E R O I S E M
I N T I S S I M A S V I R T V S P A V O
R A D I C E R E T A T T E N S I S S I M A S V I R T V S E X
C I E N T I A S O M N I E S Q V O T M O D O C O N T R A N O M I N I S T R O
I N T E N T I O N E S P E R I N V O P O S T E R I T A T I S S E R V I R E
I N O P T I M I S S I M A S V I R T V S P A V O
I N T E N T I O N E S P E R I N V O P O S T E R I T A T I S S E R V I R E
I N O P T I M I S S I M A S V I R T V S P A V O

V E R M E R I A C O B C L A V S I V S
M O D E R N I - M A G I S T R O S

Magister Jacobus Clavus
Magister Jacobus Clavus
Magister Jacobus Clavus

M A G I S T R O S
T Y P I S M A G I S T R I S





A. Ω.

Q. D. B. V.



Perfectissimi imperatoris in Electore Brandenburgico, Friderico Guilielmo, excelsissimum haud ita pridem dedimus exemplum. In praesenti animus est OPTIMI PRINCIPIS in MAVRITIO SAXONE, HENRICI III FILIO, flagitantibus id ipsum discipulis nostris, ex Saxonia oriundis, imaginem effingere. Multa quidem antiquitus vel praedicanda Principum arrogantia, vel subiectorum ipsis foedissima adulatio expressit cognomenta. Macedoniae Rex, Alexander, testantibus annalium monumentis, primus MAGNI adfectavit praerogativam. Post illum certatum, sed diversissimis meritis, magnificentum illud nomen Antiochus III, Rex Syriae & minoris Asiae, Cneus Pompeius, Strabonis filius, Herodes Ascalonita, Constantinus, Theodosius, Carolus Francus, Wittekindus Saxo, Carnutus II Daniae, & Henricus IV, Galliarum Rex, & alii usurparunt. AVGVSTI cognomen primum Octavianus Munatii Planci sententia, Tranquillo in eius vita prodente, assumpsit, in successores deinceps transferendum. IVSTVM Aristidem fuisse appellatum, probatissimus auctor, Cornelius Nepos, tradidit memoriae. PII laudem Metellus, post Antoninus, ab Hadriano adoptatus, & Ludovicus, Caroli Magni filius, indepti sunt. Felicis titulum sanguinari-

A 2

US

us sibi Sulla arrogauit, sed re, quod iure contendero, per omnia caruit. CLEMENTES antiquæ inscriptiones, BONOS, FORTES, gentium VICTORES, TRIVMPHATORES item & CONSTANTES, & necio quos præterea, protollunt. Soli vnique Vlpio Traiano Crinito OPTIMI a Senatu frequentissimo decretum fuisse honorem, (a) Plinius, vt alios taceam, confirmat euidenter & Eutropius (b). Equidem ego tantam Traiani eminentiam, ad quam virtute magna prouectus est, non deminero imprudenter oratione; sed nobis tamen ignouerit, opinor, si huiusce laudis focium ipsi adscriperimus non temere, verum consilio, primum ex Albertina familia Saxoniae Electorem, MAVRITIVM: Totius eruditi orbis clarissima lux, IVSTVS LIPSIVS, in monitis suis exemplisque Politicis, (c) quadratum alicuius rei publicæ fundamentum, & primariam principis virtutem non infucatam existere pietatem, non minus vere, quam sapienter euincit. Ab eius felici possessione non alienum fuisse MAVRITIVM nostrum, vita ipsius, quam conspirante historiarum consensu laudabiliter exegit, illustria profecto, nec intermorigura suppeditat documenta. Enimvero innocentissimi ac integerrimi parentis Henrici exemplo vere incomparabili, quod efficacissimum, Plinio interprete, (d) præcipiendi genus est, imitatus, vitæ sanctimoniam ab ineunte ætate incepit deamare, annisque infecutis, post habitis infanientis aui blandimentis, diligentissime coluit. In amœnissimo hoc stadio quantas fecerit progressiones diuini spiritus opera, illud cum primis, vt reticeamus reliqua, prodiit illuminate. In funestissimo ad Pestum prælio in præsentissimum amittendæ vitæ periculum incidit ante, quam putarat ipse cum aliis. Nam super ceruice illius, Turcorum multitudine circumuenti, districtus acinaces iam pendebat, cuius ictum non impune antiqua virtute & fide nobilissimus de Reibisch excepit. Reducem, & cælesti gratia incolumem, IO. ALBINVS, qui facem ei ad æterna beatorum ciuium gaudia præferēbat, interrogauit, quis sensus illius sub decretorio ferro fuerit, quid cupierit, quid optauerit? Cui ille non minus pie, quam cordate respondit: se vnum solumque Christum, cuius pauculas ante horas exaudiuerit verbum, cuius item corporis & sanguinis, mirabili plane mysterio, factus fuerit particeps, cogitasse, cum adhuc in viuis foret, sceleratissimaque Turcorum manu iam iam contrucidandum. Nec

menſ

(a) Plin. Paneg. c. II. n. 7. confer. cap. LIIIX. (b) Eutropius lib. IIX cap. III num. 18. (c) Lipsius lib. I cap. 2. [d] Plin. I. VIII Epist. XIV num. 7.

mentem istam, quam spiritui debebat sacrosancto, deinceps cum tempore vel caelo, quod infelix FRANCISCI LOIOLAE progenies impie adfirmabat aliquando, immutauit. Etenim cum Siuershusana pugnae sinistro alite aduersus Albertum Brandenburgicum, tumultuosissimum per omnem vitam principem, interesset, vulnusque acciperet immedicabile, Io. ALBINVM, quem supra honoris causa iam nominauimus, etiam atque etiam exorauit, vt sibi de mortali statione discessuro nunquam non praesto esset, identidemque Io. Euangel. c. III comma 16, seq. & c. X versiculos 27, 28, ad animulae suae, ex hospitio iam abituentis suo, consolationem recitaret. Longiorem fortassis orationem MAVRITII postularet pietas, reliqua vero ipsius virtutes breuiorem. Secundas post pietatem venerabilis iustitia, veluti genuina illius soboles, in Optimo principe iure maximo sibi vindicat. Quo enim modo is iustum oderit, qua ratione Deo, aliis & sibi denique SVVM non intriuerit, qui iustissimum Numen veneratur supplex, & certissimas iniustitiae poenas extimescit. Illi igitur virtuti ita operam nauauit noster, vt eidem soli addictus deuotusque fuisse videatur. Verum etenim occurritur nobis hic loci satis speciose a nonnullis; illud tamen iniustitiae suspicione non omnino carere, quod contra Io. Fridericum, puriora sacra defendentem acerrime, impia tulerit arma, & Electoralem illius dignitatem, & possessiones plurimas, imperatore Carolo iubente, inuolarit. Ita videlicet iudicant, qui actionum principia & circumstantias insigniores non eo, quo decet, modo introspiciunt. Sagacissimus in coniciendo MAVRITIVS, quae in bello illo sacro contigerunt, futura, quasi lauro admorsa, prouidebat. Imperator exercitissimum adducebat & veteranum militem. Huic tironem & nouitium Elector ad Muhlbergam obiciebat, socio & comite illius belli, Philippo Magnanimo, tum temporis ab ipso non felici omine distraeto. Tum MAVRITIVS circumspicendis rebus omnibus, rationibusque subductis, hanc cogitationum suarum summam fecit, hoc fastigium. Hui! si quid Electori in optima, quam tuetur, causa humani accideret, in quas calamitates & angustias prolaberetur Saxonia mea. Fortassis in tanta rerum perturbatione peregrini aeris princeps sese in eandem ingurgitauerit? Id propterea, si Caroli ego amicitiam sanctissime coluero, vt vt res ceciderit, iacta semel alea, Saxonia tamen salua erit, erit incolumis. Tali consilio, vt optimus quisque per se facile intelligit, sapientissimo Saxoniae provincias a terribis hirundinibus & expilatoribus fartas, quod in prouerbio

bio dicitur, & tectas conseruauit. Repurgata item per beatis-
simum Lutherum sacra nihil tum detrimenti, quod a detesta-
bilibus Harpyiis eis vnice intentabatur, Deo ita dirigente, ce-
perunt. Idem iudicium de expeditionibus ferendum, quas
contra principes & vrbes, quibus aquam & ignem innata Caro-
lo seueritas interdixerat, suscepit. Quod si alii hoc munus
ab imperatore fuisset demandatum, vltimum exitum & lacri-
mabilem dubio procul subiissent deuastationem. Id
quod impotentissimi Tillii crudelitas, & deplorandum
Magdeburgi nostri, nec non Heidelbergæ, arcis quon-
dam omnium pæne eruditorum, excidium, quo Sol nihil vm-
quam barbarius vidit, illustri exemplo comprobant abunde.
Ex quibus aperte intelligitur, quantum Saxonia non modo, sed
& aliæ regiones quamplurimæ acceptum referant MAVRITIO,
quod incolumitatem ipsis & sacra sine figmentis hominum
prudenti sua circumspectione reddiderit. Quare nihil pror-
sus est, cur iniustitiæ cuiusdam incusare merito cum aut vere
aliquis possit. Iustitiæ autem in omnibus tuendæ conseruan-
dæque velificatur, veluti administra, excellens animi magnitu-
do. Etenim si a strenuis iniustitiæ satellitibus pius iustusque
princeps præter meritum lacessatur suum, tum & magnanimitate
quadam opus fuerit ad propulsandam iustissimis armis,
quæ inferitur, iniuriam, Nec illa virtus, vt euincemus perfacile,
MAVRITIO defuit nostro. Quid quæritis? Vel ipsius Caroli, in-
uictissimi alioquin imperatoris, vnico exemplo nimis clare id
ipsum constabitur corroboraturque. Hunc enim, (vah ma-
gnanimitatem, quam vix credent posteri,) Germaniæ iura labe-
factantem, & in custodia, secus ac NOSTRO & Brandenburgico
Ioachimo adpromiserat, diutius Hassiæ Landgrauium & Io. Fri-
dericum adseruantem, in tantas repentino aduentu coniecit
angustias, vt horresceret ipsi animus, totum corpus contremis-
ceret, omniumque illius consiliorum caderent rationes. Nihil
profecto aliud Caroli cogitationes ita vehementer perculit,
quam MAVRITII fortitudo & animi præsentia, cuius in ad Muhl-
bergam prælio spectator ipse fuerat & admirator. Eo tempore
apparuit luculenter, non falsam MAVRITII, nec Aristotelicam
esse magnanimitatem, vt pote quæ in Deo & bona causa vnice
recumbat, immota ab omnibus contradictionum difficulta-
rumque procellis. Inter regias laudes, & eorum, qui in illustri vi-
tam agunt, sapientissimorum hominum iudicio refertur, qua
illabimur tectè aliorum animis, liberalitas. Magis enim, vt in-

quid

quit ille, regium est ditare, quam tributorum violenter exactorum
nimietate ditescere. Istac virtute ad DEum Opt. Max. accedunt
proxime gentium moderatores: hac æternitatem nominis & im-
mortalitatem indispicuntur. Id perceptum habebat & cognitum
ex PARENTIS optima disciplina MAVRITIVS. Sane quam ingra-
tissimæ forent elegantiores Musæ, si maximam tanti Musagetæ
munificentiam intempestiuo silentio dissimularent. Hæc enim
ipsa ex pinguescentium Monachorum latibus templa eis, ab exsi-
lio reuocatis, exstruxit & augustissima sacra. Testes huiusce
rei produco Portensem, Misnensem, Grimmensemque ludos li-
terarios, ex quibus tot litterati heroes & præstantium scientiarum
vindices prodierunt, vt eorum numerum non dicam eloqui, sed
ne signare quidem possimus. Quid de honestissimis stipendiis,
honoribus, priuilegiis, diuinæ & humanæ sapientiæ magistris be-
nignissime decretis, commemorauero? Quod si singula MAVRITIANÆ
liberalitatis momenta persequi certum mihi nunc esset, vastissi-
mum volumen prædiuite hoc argumento adimplerem. Vellem
etiam de imperandi, qua excelluit, prudentia, & incredibili eius in
ciues carissimos amore, cæterisque summis virtutibus non pœni-
tenda adii cere commentando, ni programmatissimas leges latius eu-
gaturum terminum opponerent & cancellos. Ex iis tamen, qua co-
piosiori stilo explanauimus, cordatissimus quisque animadu-
terit latis superque, MAVRITIVM nostrum rarissimis virtutum or-
namentis Optimi principis laudem fuisse promeritum, quam ei
nec magnus ERASMVVS, nec ROBERTVS KEVCHEMVVS, quorum al-
ter de principe Christiano, de pagano alter doctissime & sapien-
ter dissertauit, me iudice denegauerit. Quæ vero chartæ
angustia heic loci intercipit, ea occupabunt non repu-
gnante Minerua nobilissimi & ornatissimi iuuenes, quorum inge-
nia, Deo fortunante, huc vsque formauimus. Nam
DAVID LEVIN de KATTE, perillustris morum facilitate doctrinaque pa-
rentis præstantissima indole, nec vulgari expectatione filius, ex ci-
uili adstruet historia, bonum principem in orbe terrarum, vt olim
Romæ recte sentientes Senatores, alba aue nullo non tempore fu-
isse rariorem: malorum vero largissimum omnibus sæculis pro-
uentum extitisse. Quare optimorum principum virtutes de-
centissimis condecorandas præconiis esse, ne illorum gloriam i-
dem, qui corpora tegit, tumulus obruat. Quum igitur in selectis-
simo horum numero MAVRITIVS, Saxonix Elector gloriosissimus, pu-
tandus meritisimo sit; hinc in artium studiis commilitones con-
iunctissimos pro subiectissima in tantum heroem & patriam suam
pietate eiusmodi quid tentare. Vt laudabile illorum molimentum
boni, æqui consulatur, summe obseruantissime obtestabitur.

Vc 2765 PK

Io. CHRISTIANVS TREKEL, Saxo Leucopetras, iuuenis & ingenii capacitate & discendi ardore præstantissimus, qui hoc de MAVRITIO Saxone argumentum diligentissime nobis commendauit, primarias optimi principis virtutes, pietatem videlicet ac magnanimitatem non inuenusta, quam suo Marte composuit, oratione, deuotissimum suum in Saxoniam præfulgentem domum prociurus animum, prædicabit. Quo edito demississimæ pietatis specimine, omnibus vale ac singulis dicet, quorum se promeritis adstrictum arbitratur, suorum, quos & colit, & obseruat, & diligit, iussione Hallensibus deinceps Musis operam enauaturus. Liberalitatem MAVRITII in litterarum studia, eorumque gnauiosimos cultores prorsus valde insignem, & inusitatam erga subiectos ipsi propensionem collaudabit viuacis ingenii iuuenis, & in paternum exemplum, illustri loco propositum, quotidie non sine fructu introspiciens, CASPARVS HENRICVS NEWMANNVS, VVittenbergensis Saxo. Iustitiam vero illius, & summamque circumspèctissime gestis, bellis, aduersus Carolum Albertum imperandi prudentiam ex, non ineleganter illustrabit elegantissimus iuuenis, & auitæ eruditionis æmulator industrius, IO. BENEDICTVS OSTERMANNVS, Saxo itidem VVittenbergas. Finem faciet probus iuuenis & melioribus litteris deditissimus, IO. CHRISTLIEB VOGEL, inferiori Varslebia Magdeburgicus. Is, breuiter quædam de artium, quæ sublimioribus disciplinis viam sternunt ac præparant, vsu præstabiliori præfatus, abituro Trekelio nostro alba omnia feliciaque ex animo precabitur. Dein Auditoribus spectatissimis ac ornatissimis præparata opera & auscultatione beneuolentiori obstrictissimum animum, & accepti beneficii memorem, testabitur & spondebit. Duo videntur superesse. alterum, vt politioris humanitatis Patronos iuxta & studiosos etiam atque etiam enixissime rogemus, quo expectatissima præsentia sua nostrum promoueant benigne ac exornent institutum. alterum, vt discedentem Trekelium meum faustis prosequar precationibus, ad angustæ vitæ cursum cum augusta Dei laude, agnatorum constanti delectatione, multorumque emolumento conficiendum. Hoc faxit, qui solus potest, & nostris exoratus suspensi impensissime vult, Deus præpotens ac immortalis. PP. in Bergensi ad Albim monasterio pridie Cal. Februar. A. O. R.

clō Io cccix.



nc

ULB Halle
007 650 884

3



VD18





Vc
2765

27,50.

MAVRITIVM SAXONEM, HENRICI PII FILIVM,

VT
EXACTISSIMVM OPTIMI PRINCIPIS
SIMVLACRVM
BERGENSES MVSAE

AD D. XXX IAN. HORA VIII MATVT.

*SVBIECTISSIME ET ADFECTV DEVOTISSI-
MO PROPONENT AC LAVDABVNT.*

AD TANTI HEROIS EMI-
NENTISSIMAS VIRTVTES, FAVO-
RABILITER ET ATTENTISSIMIS AVRIBVS EX-
CIPIENDAS, OMNES, QVOT MODO CVNQVE NON INTERMO-
RITVRA FVLGENTISSIMAE PER EVROPAM GENTIS SAXONICAE GLORIA,
ET OPTIMARVM ARTIVM CVLTVRA IMPENSIVS LAETANTVR,
SVMME OBSERVANTISSIME AC DILIGENTER
INVITAT

VVERNER IACOB CLAVSIVS,
MOECCERA - MAGDEBVRGICVS.

Plinius lib. V epist. XXXI num. 2.

Quid iucundius, quam Principis iustitiam, grauitatem, comitatem
inspicere?

MAGDEBVRGI,
TYPIS MVLLERIANIS.

